



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De morte Athanasii & Petro eius successore, & quòd post mortem
Athanasii, Ariani mandato Imperatoris Lucium Ecclesiae Alexandrinae,
coniecto in carcerem Petro, praefecerunt. Cap. XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

Quòd Imperator Valens multos, qui T H primum nominis sui clementum habuerunt, iugulauit, propter necromantiam quandam quam fama ad aures eius transmiserat.

C A P. X V.

SV B idem tempus pessimus quidam dæmon Imperatoris crudelitate ad suam abutebatur libidinè. Nam quorundam hominum curiosorum animos induxit, vt per *νεκρομαντεία* id est diuinationem, quæ fit per mortuorum umbras excitatas, perscrutarentur, quis post Valentem Impetii gubernacula obtineret. Quibus quidem magicas præstigias exercentibus dæmon, vti solet, non perspicuum, sed obscurum responsum dat: nimirum literas quatuor esse, Th. E. O. D. ex quibus eius nomen, qui esset post Valentem regnaturus, inciperet: nomenq; ei compositum fore. Cuius rei fama ad aures permanat Imperatoris. Ille igitur, neq; rerum futurarum scientiam, neque potestatem res pro arbitratu gerendi Deo cuius nutu omnia præclare administrantur, permittere voluit, Sed religionis Christianæ præceptis (quorum studio magnopere flagrare præ se tulit) penitus derelictis, complures, quos imperio suspicabatur potituros, trucidat. Itaque omnes, qui erant vel Theodori, vel Theodoti, vel Theodosij, vel Theoduli nomine, vel aliis confimilibus nominibus appellati, interficit. In quorû numero fuit Theodosiolus, vir nobilis ex genere patricio: qui ab Hispania ad Valentè adductus, morte multatus est. Multi igitur præ metu ipsorum animis iniecto, sua commutarunt nomina, eaque quæ parentes illis in lucem editis imposuerant, tanquam plena periculi denegarunt. Sed de his satis multa dixisse videor.

De morte Athanasii & Petro eius successore, & quòd post mortem Athanasii, Ariani mandato Imperatoris Lucium Ecclesiæ Alexandrinæ, coniecto in carcerem Petro, præfecerunt.

C A P. X V I.

Hoc

HOC loco intelligamus oportet, Imperatorem, dum vixit Athanasius episcopus Alexandrinus, diuina quadam prouidentia Alexandriae & Aegypto perturbandae temperasse: quippe qui intelligeret, ingentem ibi multitudinem esse, Athanasio penitus addictam, & propterea formidaret, ne si seditio Alexandriae excitaretur (est enim populus ille natura sua paulo feruentior) Resp. inde admodum laederetur. Athanasius vero post multa pro ecclesia contestata certamina, cum episcopatum quadraginta sex annos non absque multis grauibuscumque periculis administrasset, decessit in vita, Gratiano, secundum & Probo consulibus: Petrumque virum valde pium & eximium reliquit successorum. Contestatum igitur Ariani magnos animos sumere coeperunt, de Imperatoris religione gloriari, & absque mora Athanasii mortem imperatori, qui tum Antiochia commorabatur, significare. Itemque Euzoii, qui Antiochiae sectae Arianae episcopus fuit, tum etiam occasionem temporis tam commodum oblatam arripiens, iter Alexandriam parare, uti rectionem ecclesiarum, quae ibi sunt, Lucio Ariano impertiret. Idem quoque Imperatori visum est. Quare Alexandriam cum potestate Imperatoria, quam celerrime proficisci maturat. Quinetiam Magnus, quaestor Imperatoris, illum eo comitatur. Addebatur etiam mandatum per scriptum ad Palladium praefectum Alexandriae, ut copiis militaribus Euzoi instituto inferiretur. Quocirca & Petrum comprehensum, in custodiam tradunt, & aliis clericis, alio in alium locum amandatis, Lucium in sede episcopali collocant.

Quod malorum illorum quae dum Lucius in solio suo collocaretur euenerunt (quae sane quam multa fuere) Sabinus Macedonianus nullam in historia sua mentionem facit, sed Petrus qui ad Damasum Episcopum Romanum fugiens incolumis seruatus erat, in commentarijs à se relictis ea commemorat, & quod Ariani & Lucius summam in monachos, qui in solitudine vitam agebant, crudelitatem exeruerunt.

CAP. XVII.

Eti